



Vilhelmus filius fuit Vuilhelmi domini Rapolsteinij, & Iohannæ comitissæ in Neuenschetin, natus is est anno 1464 in arce antiqua, quæ à ueteri principum familia Rupem Spoletinā uocant, quæ hodie truncato nomine Rapolstein cōmuniter dicitur, unde etiam hæc illustris familia de nominata est. Ab ijs parentibus Vuilhelmus prognatus, & in omni genere uirtutum educatus est, quamprimum uero adoleuisset, more maiorū Hies roslymā contendit, ut saluatoris uestigia uideret, atq; in primis regnum Dei quaereret. postea uero Maximiliani causam cōtra Venetos fortiter defendit. Vnde etiam huic Cœsarea Aquila ad Padue op pugnationem commissa. Ut autem belli tempore strenuus dux, ita pacis magna prudentia conspicuuus, hinc factum quod Maximiliani Cœsaris curiæ præfectum diu egerit, atq; trium Caesarum Maximiliani, Caroli, & Ferdinandi ordine intimus consiliarius extiterit, & res magnas sibi commissas dextrè expedierit. In Vngaria quoq; aliquoties feliciter contra Turcas pugnauit, & ordinis ducendo magnam sibi autoritatem conciliauit. inde factum, quod à Cœsare præfectus superioris Alsatiæ, & Curiae in Enfisheim præses constituetur. eam functionem is singulari dexteritate peregit, & tumultu rusticō exorto anno 1525, eos compescuit, & seditiones puniuit. Cum hoc modo ad summā ætatem, ipsumq; 83 annum uenisset, atq; Huldrico filio mortuo (quem ex Margaretha uxore comitissa in Bitsch & Zueybruck genuerat) Egenolpho nepoti suam prouinciam commendasset, anno salutis 1547 post Cœsaris in Germania uictoriam, quem unicè amauit, obiit, & à suis honorifice sepultus fuit. Anonim.